

quisitorius est, quando nullo existente Accusatore, Judex per viam inquisitionis summariæ & de plano procedit, & ex officio adversus delinquentem inquirit, eique poenam commertam imponit. Et quia in defectum Accusationis Inquisitio inventa & instituta est, ne scilicet ex accusatorum defectu delicta maneant impunita, ideo solet etiam vocari Extraordinarius.

17. Dubitatum est. An non solum in Jure Canonico, (quod extra controversiam est, nam exstat titulus de accusat. & Inquisit.) sed etiam in Jure Civili approbatus sit Processus Inquisitorius. Negarunt aliqui, quos tacito nomine allegat Fachineus *lib. 1. cap. 33.* inter quos (non rectè) ponit S. Thomam *2. 2. q. 67. a. 3. in Corp.* quod ita summatur. [Non potest in criminibus Judex quemquam judicare, vel condemnare, nisi habeat accusatorem, cuius, ut Justitiam interpret, non nisi inter duos Justitiam administrare possit.] Verum, ex responsione ad argumenta nimis clarum est, S. Thomam non accipere accusationem in rigore Juridico, dum ad 2. facitur, infamiam esse loco Accusatoris, quæ etiam requiritur in Inquisitione. Itaque.

Dicendum est cum communi Interpretatione in Jure Civili agnoscitur & approbatur esse Processum Inquisitorium. Probat. 1. Ex Nov. *12. 8. cap. 21.* [Jubemus autem omnes Judices, tam militares quam civiles, per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum, aut feminam, aut alia quælibet in provinciis illicita committunt, & supplicia eis legitima inferte.]

Secundò, & Jure Digestorum idipsum probatur. Nam *lege 13. ff. de Off. Præsidis* ita habetur. [Congruit bono & gravi Præsidis curare, ut pacata atque quieta sit provincia quam regit, quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat. Nam & sacrilegos latrones, plagiarios, fures conquirere debet, & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere.]

Tertiò, ex Jure Codicis *l. 7. de accusat.* id clarè habetur. [Ea quidem quæ per officium Præsidibus denuntiantur, & citra solemnia NB. accusationum posse perpendi, incognita non est.]

Quartò, & eleganter in *l. 1. C. de Custod. reorum.* [In quacunque causa reo exhibito sive accusator exstat, sive eum publice sollicitudinis cura produxerit, statim debet questio fieri, ut noxius puniatur, innocens absolvatur.]

18. Obijciunt I. Ex *lege 6. §. si quis. ff. de Muner. & honor.* [Si quis accusatorem non habet, non debet honoribus prohiberi, quemadmodum non debet is, cujus accusator deliquerit.] Hoc esse intelligendum, quando ne quidem à fama quis accusatur, nam & fama est in accusatoris, ut etiam notavit S. Th. *lo. cit. ad 2.* Inquisitio autem non fit nisi præcedente famâ vel iudiciis, ut dicitur.

Obijciunt II. Per Inquisitionem aliquis sine legitima causa infamatur, & ansa præbetur hominibus, malam existimationem concipiendi de inquisito. Quinimò Inquisitio præsupponit jam sinistram famam, cui inquisitio causam dedit plerumque. Quod si in aliquo casu fama sinistre vel indiciorum causam nullam dedisset, & ad tempus innocenter ipsius existimatio pateretur apud aliquos, ob hunc ratum eventum non debet universim illicita esse Inquisitio, utpote medium summè necessarium. Sicut ex eo quod raro fiat, ut etiam per viam accusationis innocens traducatur, non propterea admittent Adversarii, illicitum esse processum per viam accusationis.

19. Alias Objectiones non refero: nec est opera pretium litigare pluribus de proposita questione, postquam toto terrarum orbe Inquisitorius Processus frequentatur, & in Ord. Carol. art. 214. approbatur, adeo quidem, ut si Judex in inquirendo negligens esset, officio suo non satis faceret, & ideo reprehensibilis esset, imò, ut aliqui volunt, in Syndicatu respondere deberet.

Moventur hic à Theologis aliqua dubia; an & quando debeat obligatio accusandi in personis, quæ ex officio publico ad hoc non sunt obligate. Illas prætermitto, quia non procedunt de obligatione ex Justitiâ, sed de obligatione ex Charitate, quæ videri possunt apud Card. de Lugo, & alios ab eodem citatos, & facile resolvantur ex dictis de Obligatione Charitatis in genere.

CAPUT II.

DE ACCUSATORE, ET ACCUSATIONE.

20. Quamvis videri posset, primo loco agendum esse de Jure & Foro Competente, de hoc tamen statim à principio hujus Tomi actum est. ea verò quæ de Jure in genere tam in causis civilibus quam criminalibus tractari solent, expediti Tomo præcedente, tract. 2. Quare, statim ad Personam Accusatoris accedo, per quem principaliter & fundamentaliter differt Processus Ordinarius ab Inquisitorio.

CONTROVERSIA I.

Quenam Personæ ab accusando arceantur, & Exceptione repelli possint.

SUMMARIUM.

Quamvis veniant nomine suorum, quorum injuriam quis accusando persequi potest.

Exclusi ab accusando summariim recensentur. eod.

Quousque Clericus non admittatur ad accusandum. 22.

An hodie miles arceatur ab accusando. 23.

An Laicus possit accusare Clericum. eod.

An filius sine consensu Patris possit agere Personam accusatoris. eod.

In quibus criminibus admittatur servus. 24.

In qua etate admittatur Minorensis. 25.

Quando mulier possit accusare non persequendo suam aut suorum injuriam. 26. & seq.

Quando possit Infamis. 28.

An accusare possit qui ipse accusatus est. 29.

Quo Jure admittatur ad accusandum Inimicus. 30.

Quinam ex causa reverentia arceantur ab accusando.

31.

21. Observandum est, ex communi DD. neminem ab accusando arcei posse, si suam vel suorum, hoc est, ascendendum, descendendum, patroni, patronæ, & liberorum, fratris, sororis, uxoris, loceri, loceris, generi, nutriti, vitrici, novercæ, injuriam persequatur, arg. legis 11. ubi post enumeratos qui non admittuntur, (& de quibus hac controversia dicitur) sub-

jungitur: Hi tamen omnes, si suam injuriam persequantur, mortemve propinquorum defendant, ab accusacione non excluduntur. Imò in delictis privatis nemo ad accusandum admittitur, nisi qui suam aut suorum injuriam persequitur. *gl. in l. fin. ff. de privatis delictis.* nisi agatur ad poenam filico applicandam, tunc enim quisvis admittitur, ut tradit Farinacius *q. 12. n. 9.*

De reliquo exclusi ab accusando summariim recensentur à Julio Claro *q. 14. n. 1.* Aliqui enim repelluntur propter dignitatem, ut Clericus & Miles: alii propter defectum concernentem statum personæ, ut filiusfam. servus. alii propter defectum ætatis, ut pupillus & minor. alii propter imbecillitatem sexus, ut mulier. alii propter indignitatem personæ, ut criminofus, infamis, damnatus, excommunicatus &c. alii propter defectum integræ fidei, ut inimicus, pauper: alii propter debitam reverentiam illi qui esset accusandus, ut servi, liberti, va falli. Verum, de his est enucleatius dicendum. Itaque.

22. Quaritur I. Quousque Clericus non admittatur ad accusandum. Rationem dubitandi, & opinandi, quod universaliter prohibeatur, facit *can. 51. ca. 2. q. 7. Sacerdotes* (ut antiqua tradit auctoritas) criminari non possunt. Hoc non obstante cum distinctione respondendum est, & Dicentur.

Dicendum I. Ad publicam vindictam Clericus nunquam potest accusare, etiam si non sit causa sanguinis; & hoc probat Canon adductus, & non tantum ad Sacerdotes extenditur, sed etiam ad alios Clericos, qui se pro Clericis gerunt habitu & tonsura.

Dicendum II. Clericus prosequendo suam propriam injuriam & offensam, vel suae Ecclesiae, si delicto non est imposita poena Sanguinis, licite accusat, secus si esset imposita poena sanguinis, nam agendo ad istam poenam, poena subsecuta, fieret irregularis. Quod si tamen protestaretur, se non agere ad poenam Sanguinis, sed precise ad damni illati reparationem, licite accusatur, etiam si poena Sanguinis sequatur, quidquid in contrarium dicit Covarr. & Clarus. Nam textus est satis apertus in cap. 2. de homicid. in 6. [Prelatus, vel Clericus quibuscunque, qui de laicis suis malefactoribus querelam penes sacrum Iudicem deponentes petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cetero praesumantur, protestando expresse, quod ad vindictam seu poenam sanguinis non intendunt, imputari non debet: quamvis alius in tali casu de Jure debeat poena sanguinis irrogari, si Iudex mortem illis inferat Iustitiam exigente, & optima ratio subiungitur. Alioquin si Prelatus aut Clerici propter metum huiusmodi (quia Iudex ad poenam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus) taliter conquiri non audent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere depraedandi.] Vidi ego duos suspendi, qui a quodam Plebano fuerunt ob furtum sibi factum ad Iudicem delati cum expressa protestatione. Idem supponitur in c. 21. de homicid. ibi. [Quod si te huiusmodi querelam simpliciter deponente, Rex in eosdem rebelles traditam sibi exerceri potestatem, eorum erit duritia aut malitia imputandum.] & hoc expresse de poena sanguinis.

23. Queritur II. De Militibus, de quibus est textus in lege 8. ubi solum propriam & suorum injuriam prosequi conceditur. Verum, hodierni temporis milites non repellunt univrsim, testatur Clarus, & Farinacius.

Queritur III. An Laicus possit accusare Clericum. Videri posset id univrsim esse prohibitum cap. 2. ca. 2. q. 7. Nullus Laicus audeat Clericum in inferre. Verum, univrsaliter hoc non esse verum, patet ex variis Canonibus. Nam in crimine laeae Majestatis accusare potest, sicut & in crimine Haereticis, Simoniacis, Sacrilegii, ut tradit Gigas & ex eo Farinac. item, ex communi, in casu dilapidationis bonorum Ecclesiae, quilibet admittitur, dummodo Clericus fuerit de crimine suspectus. Deinde suam & suorum injuriam prosequi potest secundum communem DD. teste

Claro & Farinacio, & denique parochianus suum Parochum, prout nuperime scio a parochianis (quorum interest habere bonum Parochum) accusatum suum Parochum, accusationemque iteratam, & non sine effectu.

Queritur IV. De filio familias, an sine consensu patris possit in Iudicio agere personam accusatoris. Negat glossa. Sed communis & in praxi observata sententia affirmat, quamvis, ut notat Clarus, abundans cautela non noceat, ut consensus patris requiratur.

24. Queritur V. De servo. R. Non admitti nisi in criminibus exceptis, & quidem in lege pen. C. Qui accusare. in fine, solum crimen laeae Majestatis excipitur dicitur. Majestatis autem crimen tantum excipitur: De aliis tamen alibi exceptis idem dicendum. Deinde si necem domini vindicare vellet, saltem impetrata licentia, quae non denegatur. L. 1. C. de precib. & c. [Licet servilis conditio deferenda precis facile capax non sit, tamen admitti sceleris atrocitas, & laudabilis fidei exemplum, super vindicanda caede domini tui, nobis hortamento fuit, ut Praefecto praetorio demandaremus, ut auditis sis &c.] Ex cuius legis ratione videtur colligi, etiam in aliis atrocibus criminibus non difficulter auditum iri.

25. Queritur VI. De Minore. R. Si major sit viginti annis, ex communi DD. admittitur ad accusandum, ut alii, si vero sit minor viginti annis, tunc non nisi ad prosequendam suam & suorum injuriam, aut in criminibus exceptis, & non nisi cum auctoritate tutoris. L. 4. C. de auctor. praesentand. ibi. [Sancimus omnino debere & agentibus & pulsatis in criminalibus causis minoribus 25. annis adesse tutores vel curatores, &c.] & L. 2. §. 1. ff. de accusat. [Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupillae avi sui mortem exequi concessum est.] Testatur tamen Julius Clarus, & Farin. de contumacia admitti minores ad accusandum, dummodo 14. annos excefferint.

26. Queritur VII. De Muliere, an possit accusare in casibus quibus non persequitur suam suorumque injuriam. R. Novem casus à DD. enumerari, & ex Jure deduci. 1. In crimine laeae Majestatis. l. 8. ff. ad L. Jul. Majest. In quaestionibus laeae Majestatis etiam mulieres audiuntur. Verum, cum ex hoc textu plus non evincatur, quam quod admittatur ad denunciandum, vel indicandum, vel testimonium dicendum, (nam statim additur: & conspationem L. Casilinae Fulvia mulier detexit, & M. Tullium Consuldem in Iudicium ejus instruxit.) ideo melius probatur ex regula generali, quod in crimine excepto omnes, etiam alioquin inhabiles, admittantur. 2. In crimine Annonae, quod colligit DD. ex lege

fin.

fin. ad L. Jul. de annonae. ibi. [Etsi non solent hoc genus nuntiationis mulieres exercere, tamen quia demonstraturam te, quae ad utilitatem annonae pertinent, polliceris, praefectum annonae docere potes.] & lege 15. ff. de Accusat. [Mulierem propter publicam utilitatem ad annonam pertinentem audiri à Praefecto annonae deferentem, Divi Severus & Antoninus rescripserunt.] 3. In accusatione suspecti tutoris. L. 1. §. 6. ff. de Suspecto tut. & sciendum est, quasi publicam esse hanc actionem, hoc est, omnibus parere. 4. In Accusatione falsi testamenti, ut colligit gl. ex l. 2. ff. de Accusat. ibi. Sed & de testamento patris liberi vel materni mulieribus publico Iudicio dicere permittitur. 5. In crimine haereticis, quia est etiam crimen exceptum, & laeae Majestatis divinae. c. 10. de haereticis, & l. 4. C. de haereticis. 6. In crimine Sacrilegii. l. 10. C. de Episc. & Cler. ibi. [Sitque cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus aut ministris injurias veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reus ultionem mereri.] 7. In crimine Simoniacis, l. 3. r. cod. ibi. in fine, ad instar publici criminis & laeae Majestatis accusatione proposita &c.] 8. In dilapidatione bonorum Ecclesiae, quia est instar criminis laeae Majestatis, ut colligitur ex cap. 3. r. de Simonia, quamvis Decianus putet, hoc solum procedere, quando interest mulieris, quia scilicet dissipator est ejus Superior. 9. In accusatione occisoris comparis sui, etiam si non prosequatur suorum injuriam. Ita quidem Farinac. sed Jus non allegat, imò Baldus apud Decianum fatetur se textum necire, sed Decianus probat ex eo, quia conjunctio spiritualis aequiparatur conjunctioni sanguinis.

27. Quia ergo exceptio firmat regulam in contrarium, hoc ipso quod in certis causis mulieri conceditur, recte inde colligitur, in aliis non admitti ad accusandum, nisi suam suorumque injuriam prosequatur, ut dicitur in can. 1. ca. 15. q. 3. [De crimine, quod publicorum fuerit Iudiciorum, mulieri accusare non permittitur, nisi certis ex causis &c.] Unde aditus Praefes provinciae examinabit imprimis, an tale sit crimen, cujus accusationem mulier subire non prohibeatur.] Ex quo textu probatur, quod Iudex mulierem volentem accusare in casu non concessio, etiam parte non opponente, ex officio debeat removere, quamvis non alios, si contra illos non excipiat, quod bene notandum est.

28. Queritur VIII. De Infamibus de quibus est textus in cap. 17. ca. 6. q. 1. ubi in fine legitur haec verba: (quamvis in aliquibus exemplaribus expuncta, quia in manuscriptis non leguntur, uno excepto, ut ibi notatur) Infames (infames ibi enumerati) nec ad accusationem seu ad testimonium ullatenus posse recipi. &

lege 8. ff. de Accusat. ibi. [Itaque prohibentur accusare alii propter sexum vel etatem, (de quibus iam dictum) ut mulier, ut pupillus: alii propter sacramentum, ut qui stipendium merent. &c. alii propter delictum proprium, ut infames.] Haec quidem per se loquendo vera sunt, recipiunt tamen hanc limitationem, quod etiam infamis, ex communiore sententia, ad suam suorumque injuriam vindicandam possit accusare, item in criminibus exceptis: ac denique qui tantum est infamis infamia facti, non repellatur in foro civilibus ab accusatione.

29. Queritur IX. An accusatus de aliquo crimine, possit admitti ad accusandum. Quaestionem hanc omnium exactissime resolvit Decianus lib. 3. c. 24. cum quo R. 1. Accusatus, antequam nomen ipsius inter reos receperit est, (de quo infra) potest accusare suum accusatorem (imò & quemcunque alium) de majore crimine, quam est illud, de quo ipse est accusatus, non tamen de pari vel minore, nisi suam suorumque injuriam prosequatur) quia nullibi prohibetur. R. II. Post reatum nomen inter reos, potest extraneum adhuc accusare de majore crimine, non de pari aut minore, nisi vel prosequendo suam suorumque injuriam, vel in hunc finem, ut accusatio sit inchoata, sicut in terrumpatur praescriptio seu tempus concessum ad accusandum: prosequi tamen non potest, antequam causa absolvatur. l. 19. C. de his qui accusare non possunt. [Neganda est accusatio, qui non suas suorumque injurias exequuntur, licentia criminandi in pari vel minori crimine, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint: ita tamen, ut & ipsi inscriptiones contra eos etiam pendente accusatione deponere possint.] R. 3. Suum tamen accusatorem recriminari non potest, donec absolvatur. l. 5. ff. de publ. Jud. [Si quis reus factus est, purgare se debet, nec ante potest accusare, quam fuerit excusatus: constitutionibus enim observatur, ut non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur.] Posset tamen inchoate accusationem, eamque, post terminatam priorem accusationem, etiam in eo Iudicio condemnaretur, & fieret infamis, prosequi, ut tradunt interpretes in adducto textu, & habetur can. 2. ca. 3. q. 11. [Neganda est accusatio licentia criminandi, priusquam se crimine, quo premuntur, exuerint, secundum scita veterum Jurisconsultorum: ita tamen NB. ut & ipsi inscriptiones contra eos etiam pendente accusatione deponere possint.] Item posset per viam Exceptionis tantum crimen accusatori opponere, quo casu non ardeat Iudicem, sed ejus officium imploraret: plures fallentias conclusionis posita vide apud Decianum, quibus non est immorandum, cum sint de rarissime, & forte nunquam contingentibus.

D d

30. Quae

30. *Queritur X. De Inimicis.* De quibus exstant plures textus in Jure Canonico, quo Jure, ut DD. unanimiter tradunt, inimicus capitalis non admittitur ad accusandum. *can. 3. ca. 3. q. 5.* [Accusatoribus vero inimicis, vel de inimici domo prodromibus, vel qui cum inimicis immorantur, aut suspecti sunt, non credatur, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci se velint.] Jure Civili non prohibetur, suspectus tamen est, ut ex eo patet, quod à testimonio dicendo repellatur.

31. *Queritur XI. Quinam ex causa reverentiae accusare non permittantur illos, quibus debent reverentiam.* *re. 1.* Libertus patronum, & à fortiori filius patrem. *l. 8. ff. de accus. in fine.* Discipulus præceptorem, servus dominum, Vasallus senioem. Consanguinei in levibus, non tamen in gravibus admittuntur, nisi in crimine læsæ Majest. aut in prosecutione propriæ injuriæ. De quibus plura videri possunt apud Farinacium, & in foro raro occurrunt, vel certe ex alio capite modicam habent utilitatem: nam ut monet Jul. Clarus, & approbat Carpovius n. 45. cum hodie Judex possit in quovis crimine procedere per Inquisitionem, nunquam ferè disputatur, an accusator sit idoneus nec ne.

32. *Queritur XII. An qui semel ab accusando desistit, vel interrogatus dixit, se nolle accusare, possit deinde accusare.* *re. Negativè. l. 2. ff. ad S. Conf. Turpill. Qui desistit agere, amplius & accusare prohibetur.* & merito, nam Jure suo censetur cessisse: & per vulgaria, remittentibus actiones suas, non est dandus regressus.

CONTROVERSIA II.

Quando plures eundem ex eadem causa accusare nituntur, quinam admittantur vel excludantur.

SUMMARIUM.

AN accusatus ab uno, possit de eodem delicto accusari ab alio. 33.
 Concurrentibus pluribus accusatoribus, Judicis est electio. 34.
 Inter conjunctos præferendi sunt proximiores. 35.
 Religioso occiso cumam competat jus accusandi. 36.
 & seq.
 An in accusanda nece patris inter conjunctos veniant etiam spurii. 38.

33. *Dicendum I. Quando delinquens ab uno jam est accusatus, non potest postea de eodem facto ab alio accusari, nisi in calu legis 9. C. de accusat.* [Qui de crimine publico in accusationem deductus est, ab alio super eodem crimine deferri non potest. Si tamen NB. ex eodem facto plurima crimina nascuntur, & de uno crimine in accusationem fuerit deductus, de altero non prohibetur ab alio deferri. Judex autem super utroque crimine audientiam accommodabit. Nec enim licebit ei separatim de uno crimine sententiam ferre, priusquam plenissima examinatio super altero quoque crimine fiat.] Item quando prior accusator desisteret vel impediretur. *l. 11. §. 2. ff. eod.* [Ab alio delatum alius deferre non potest, sed eum qui abolitione publicâ vel privatâ interveniente, aut desistente accusatore de reis exemptus est, alius deferre non prohibetur.]

34. *Dicendum II. Concurrentibus pluribus accusatoribus, Judicis est eligere.* *l. 16. ff. eod.* [Si plures existant, qui reum in publicis Judiciis accusare volunt, Judex eligere debet eum qui accuset, causâ scilicet cognitâ, æstimationis accusatorum personis, vel dignitate, vel ex eo quod interest, vel ætate, vel moribus, vel alia justa de causa.] & hoc, per se loquendo. Nam

35. *Dicendum III. Quando plures in diverso gradu conjuncti alicujus injuriam proficiuntur, v. g. alicujus ex sua familia occisi, tunc non Judex eligit, sed de Jure admittendi sunt proximiores, exclusis remotioribus.* Ita communiter DD. quamvis Jura quæ ad hunc finem adducit Farinac. & ex eo Carpov. hoc non dicant. Sed ratio esse videtur, quia propinquiores supponunt majori fervore profecturi injuriam, & eorum etiam magis interest, ob quam causam in accusatione adulterii præfertur maritus patri uxoris, ut habetur *l. 2. §. 9. ff. ad L. Jul. de adul.* [Si simul ad accusationem veniant maritus & pater mulieris, quem præferri oportet, quaritur: & magis est, ut maritus præferatur, nam NB. & propensior ira, & majore dolore executurum eum accusationem credendum est: in tantum, ut, etsi pater prævenierit, & libellos inscriptionum deposuerit, marito non negligente, nec retardante, sed accusationem parante, & probationibus instituitæ ac muniente, ut facilius judicantibus de adulterio probetur, idem erit dicendum.] Unde infero, idem esse dicendum de propinquoibus, qui etiam si essent à remotioribus præventi, tamen ipsi præferendi essent, si non fuerint negligentes.

36. Ex hac Conclutione inferunt communiter DD. apud Farin. *q. 13. n. 19.* quod si Religio-

ligiosus sit interfectus, non Monasterio, sed defuncti seu occisi Religiosi consanguineis, Monasterio excluso, competat Jus accusandi, vel si alicujus Religiosi pater occidatur, non Religioso (qui pro mortuo reputatur) nec Monasterio, sed aliis filiis vel consanguineis defuncti, competat. Verum, quia hæc illatio patitur aliquas difficultates, ad eas declinandas

37. *Docet Farinacius I. Quod Religiosus ante factam Professionem (vel religiosa vota) potest accusare, transigere, ac pacem facere, tam de injuria sibi illata, quam suis.* 2. *Quod post facta vota Religiosa non admittatur ad accusandum, quia comparatur Servo: (qui accusare non potest) intellige, nisi accusaret pro Beneficio Ecclesiæ, vel ex consensu Abbatis.* 3. *Quod de reliquo præferantur consanguinei excluso Monasterio, quod probat ad longum: sed absque utilitate, nam in tali casu Monasteria non affectant accusationem.*

38. *Dubitatum est, an inter consanguineos etiam spurii veniant, ut in accusanda morte patris alius præferantur.* *re. Breviter affirmativè, si quidem patrem suum nominent & agnoscant: attenditur enim conjunctio naturalis, quæ eadem est in spurio, ac legitimo.*

CONTROVERSIA III.

Quanam persona accusari non possint.

SUMMARIUM.

Quando possint accusari Magistratus maiores. 39.
 An absolutus ab unius accusatione, possit de eodem ab alio accusari. 40.
 An condemnatus ad penam minorem possit iterum accusari, ut puniatur penâ ordinariâ. 41.
 An absolutus à delicto quoad substantiam, possit de novo accusari de qualitate. 42.
 An absolutus vel condemnatus in foro Ecclesiastico, possit iterum accusari in seculari. 43.
 An relaxatus sub fideiussione de se presentando possit iterum accusari. 44.

39. *Dicendum I. Magistratus majores quamvis accusari possint propter delictum tempore Magistratus commissum, vel ante quidem commissum, sed accusatione post magistratum finitum instituendâ, de delicto tamen ante*

Magistratum commissio, tempore dutantis magistratus accusari non possunt. *arg. l. 12. pr. ff. de accus.* [Hos accusare non licet, legatum Imperatoris, id est Præsidem provinciarum: item legatum provinciarum, ejus duntaxat criminis, quod ante commiserit, quàm in legationem venerit, item Magistratum populi Romani, eumque, qui Reipublicæ causâ abfuerit.] & *arg. l. 3. C. 4. ff. ad L. Jul. repetunt.* [Legatus Julia repetundarum teneatur, qui cum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum decernendumve acceperit, vel quod magis aut minus quid ex officio faceret.] Ratio esse videtur, quia tempore Magistratus delinquendo inhonorat ipsam suam dignitatem, & offendit supremum Principem aut Rempublicam, à qua Magistratum accepit, modo specialis, dignus proinde qui etiam durante Magistratu accusari & puniri possit, & ut ex hoc capite frænum habeat, ritè suum munus administrandi.

40. *Dicendum II. Qui semel de aliquo crimine accusatus, & absolutus est per Judicis sententiam, de eodem crimine amplius accusari non potest, exceptione rei judicatæ securus, nisi forte magna ex causa, ob quam secundo accusatori non videtur debere nocere, quod inter alios judicatus est, ut habetur *lege 7. §. 2. ff. de accus.* [Iisdem criminibus quibus quis liberatus est, non debet Præfes quibus eundem accusari. Sed hoc utrum ab eodem, an nec ab alio accusari possit, videndum est. Et puto quoniam res inter alios judicatæ alii non præjudicant, si quis qui nunc accusator existit, suum dolorem persequatur, doceatque, ignorasse se, accusationem ab alio institutam, magna ex causa admitti eum ad accusationem debere.] Et *lege 9. C. eodem dicitur absolute. Qui de crimine publico in accusationem deductus est, ab alio super eodem crimine deferri non potest.* Circa hoc tamen*

41. *Dubitatur I. An si accusatus fuit quidem condemnatus, sed non ad penam ordinariam, sed ad minorem, possit iterum accusari, ut puniatur penâ ordinariâ.* *re. Ex mente DD. tunc posse, quando illa minor penâ fuit ideo imposita, quia Judex ille non habebat Jurisdictionem ad imponendam penam ordinariam, vel si (quod non facile præsumitur) fuisset aliqua collusio facta. Non tamen, si potuit imponere penam ordinariam, nec collusio aut fraus intercessit: tunc enim habetur à penâ ordinariâ pro absoluto, etiam si constaret, quod ille Judex non voluerit facere gratiam, adhuc enim ipsius sententia transit in rem judicatam.*

42. *Dubitatur II. An absolutus à delicto simpliciter seu quoad substantiam in iudicio deducto, sine ulla qualitate, possit postea*

molestari & accusari de aliqua qualitate aggravante illud delictum. v. g. fuit absolutus ab accusatione stupri, & postea aliquis vult accusare de stupro eodem, quod fuerit violentum. 37. Si nova qualitas proponatur ante latam sententiam, etiam post nomen inter reos receptum seu litis contestationem, tunc super huiusmodi qualitate procedendum est, & secunda accusatio tantquam gravior & præjudicialis, & comprehensens omnes circumstantias delicti est præferenda. Si verò nova qualitas proponatur post sententiam & absolutionem vel condemnationem secutam, tunc aliqui distinguunt. Si enim qualitas diversificat delictum, ita ut inducat delictum genere diversum, v. g. absolutus de homicidio imputatur de patricidio, potest iterum accusari, quia tunc non est qualitas propriè, sed diversum delictum. Secus si non diversificat, esto penam illius augeat. Ità cum quibusdam aliis Farinacius: quod posterius clarum quidem est, quando fuit absolutus in priori iudicio, nam qui simpliciter absolvitur & pronuntiatur, quòd non commiserit stuprum, quomodo, stante hac sententià, poterit pretendi, fuisse stuprum violentum, cum non erant nullæ sint qualitates? Sed quando est condemnatus, profectò Farinacii opinio est difficilis, & mihi contrarium verius videtur.

33. Dubitatur III. An in delicto Mixto, fori absolutus vel condemnatus in foro Ecclesiastico, possit iterum accusari in foro Sæculari. 38. Si absolutus est non præcisè ab observatione iudicis, (nam hæc absolutio non impedit novam accusationem, cuiuscunque fori fuerit) sed tantquam innocens, tunc non potest iterum accusari in illo foro, ut patet ex dictis. Difficultas ergo solum est de condemnato, & tunc diversis modis pro diversitate condemnationis respondendum est. Primum enim si solum punitus est aliqua pena extraordinarià medicinali, seu monitorià, ut excommunicationis, tunc apud omnes certam est, posse in sæculari foro iterum puniri penà ordinarià. Idem dicendum, si pena Ecclesiastica fuit solum præparatoria, ut est degradatio, in huc finem, ut tradatur potestati sæculari. Deinde etiam si fuerit punitus penà aliqua alià, si tamen delictum est tale, ut pena illi competens non possit ab Ecclesiastico Iudice infligi, adeoque pena illa non est ordinaria simpliciter, sed tantum ordinaria respectu talis fori, tunc potest reus iterum à Iudice sæculari capi, & puniri. arg. cap. 1. de penis in 6. quod quidem loquitur specialiter de offendentem Cardinalem, sed est eadè ratio de aliis, & ita prædicatur, sed cum hac observatione, ut non puniatur reus ultra condignum, quod fiet, si à secundo iudice puniatur penà ordinarià, & tamen prius jam fuisset punitus penà extraordinarià. Debet enim prior pena quantum

fieri potest secundum moralem æstimationem computari in secunda; in quo Iudicis prudentià opus est.

44. Dicendum III. Si quis non quidem absolutus, sed relaxatus sub fideiussione de se præsentando fuerit, poterit iterum molestari, si nova indicia, & quidem prægnantia, ac ad torturam sufficientia apparuerint. Ratio est, quia hæc absolutio est instar absolutionis ab observatione iudicis præcisè, qualis etiam est absolutio illius qui indicia purgavit per torturam, quamvis hoc ipsum multi DD. negent, velintque talem esse definitivè absolvendum: sed hoc tandem arbitrio Iudicis relinquendum monet Farinacius, considerando, an sit aliqua spes deprehendendi nova indicia necne; sed de hoc iterum infra, quando agetur de tortura.

CONTROVERSIA IV.

An possit Iudex aliquando iudicare in causa Criminali ipsum Iudicem tanquam læsum concernente.

SVMMARIVM.

Resolutio Questionis in titulo posita. 45.
An in tali casu Iudex iudicet in propria causa eod.

45. **D**icendum est, posse Iudicem seu Magistratum crimè adversus seipsum commissum quà Magistratum aut Iudicem agit, vindicare & punire. Ità Carpzovius p. 3. q. 104. n. 66. allegans communem praxin, præsertim si crimen notorium sit, & accusatione non egeat, & pena ad Reipublicæ vindictam, non ad privatam tendat. Ratio est, quia talis punitio est Magistratus ipsius, ejusque dignitatis & auctoritatis defensio, & nimis incommodum esset, si Magistratus alium Iudicem adire deberet. Unde & lege 1. ff. Si quis ius dicenti &c. dicitur: Omnibus Magistratibus secundum ius potestatis sue concessum est, jurisdictionem suam defendere.

Obijci posset id quod tritū Juris est, neminem in causa propria Iudicem esse posse. 32. Negando suppositum, quòd nempe in tali casu iudicet in propria causa; iudicat enim in causa Reipublicæ, ne Respublica impunè lædatur, & ideo

in tali casu consideratur illius persona quasi extranea. Sicut ergo non obstante quòd accusator sit membrum Reipublicæ, potest tamen causam agere Reipublicæ; ita etiam hic numero Iudex etiam si sit membrum Reipublicæ, potest tamen nomine & auctoritate Reipublicæ vindicare delictum commissum in se, ut gerentem publicam Reipublicæ personam; neque opus est alià distinctione inter Iudicem & læsum. Imò Deus vindicat delicta in se ut supremum dominum commissa, ubi inter Iudicem & læsum nulla intercedit distinctio.

CONTROVERSIA V.

An, & quatenus admittatur in Iudicio Criminali Procurator.

§. I.

De Procuratore Accusatoris.

SVMMARIVM.

Accusantis Universitatis Syndicus admittitur.

46. *Inspecto Jure nemo alieno nomine accusare potest.*

47. *Bene tamen hodiernis moribus.* 48.

De Jure Canonico adhuc requiritur Inscriptio ad penam talionis. eod.

An accusatus possit se per procuratorem defendere.

49. *An absentis procurator admittatur ad defendendum quoad merita cause.* 50.

An ad opponendas Exceptiones declinatorias. 51.

An in Iudicis tendentibus ad penam pecuniariam.

52. *Ad quos actus admittatur procurator presentis.* 53.

Solvuntur argumenta contraria. 54. & seqq.

An aliquando reici possit accusatio legitime facta.

57.

46. **D**icendum I. Si aliqua Universitas accusat, admittitur ejus Syndicus ad accusandum. l. 1. §. 1. ff. Quod cuiusque Universitatis nomine &c. [Quibus autem penam illam est, corpus habere collegii, societatis, sive cuiusque

alterius, eorum nomine: proprium est ad exemplum Reipublicæ habere res communes, arcam communem, & actorem sive syndicum, per què tanquam in Republica, quod communiter agi fierique oporteat, agatur fiat.] Ratio est, quia non apparet alius modus, quo Universitas litigare possit, quam per procuratorem, non enim omnes convenire, & coram Iudice comparere poterunt. Unde idem dicendum est, quando Universitas accusatur, ut per Procuratorem respondere possit.

47. **D**icendum II. Inspeco Jure Civili nemo alieno nomine & tanquam procurator accusare potest, quando agitur ad penam relegatione majorem (quod bene addit Andreas Gail l. 1. de pace pub. c. 10.) Sed observatur lex 13. §. 1. ff. de publ. Jud. [Ad crimen Iudicii publici persequendum frustra procurator intervenit, multoque magis ad defendendum, sed exculpationes abientium ex Senatusconsulto Iudicibus allegantur, & si iustam rationem habeant, sententia differtur.] l. 16. C. ad L. Corn. de falsis, ibi. *Quantvis ita per procuratorem accusationem persequi non potes.* Ratio ita statuendi tunc erat. Quia tunc accusator compelleretur ad inscriptionem, hoc est ad penam talionis subeundam, si delictum non probaret. l. 7. pr. ff. de Accusat. [Si cui crimen obijciatur, præcedere debet in crimen subscriptio, quæ res ad id inventa est, ne facile quis prolixiat accusationem, cum sciat, inultam sibi accusationem non futuram.] Et clarior in l. fin. C. eod. ibi. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, custodiæ similitudinem (habita tamen dignitatis æstimatione) patitur, nec impunam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.] Jam si posset accusatio fieri per procuratorem, non caderet penà in procuratorem condemnatum, & accusator esset abiens, & sic multi possent impunè calumniari. Et hæc quidem Jure Civili.

48. **D**icendum tamen III. Hodiernis moribus in quavis causa criminali admittitur Accusatoris procurator ad accusandum, & accusationem prosequendam. Ità supponitur in Ord. Crimin. Carol. art. 12. ibi. *quamprimum accusatus in custodiam positus est, accusator, vel ipsius procurator &c.* Ratio est, quia cessante causâ dispositionis, cessat dispositio: atqui in scripto ad penam talionis hodie cessat, & ab aula recessit. Ergo &c. Hodie ergo accusator deficiens solummodo condemnatur in sumptus, & multatam pecuniariam, si in accusando defecerit. Et ex S. C. Turpill. in quinque libras auri, si ab accusando desistat. Notat etiam Corvinus, quòd an accusator bonâ fide accusaverit, Iudex inquirat: Et si quidem iustum ejus errorem repererit, eum absolvit, si verò in evidenti calumnia de-

prehendit, legitimam poenam irrogat. Et hac ratione pulchrum moderamen adhibuit est, ut neque inscriptionis periculo homines ab accusando amplius absterreantur, neque tamen calumniandi licentia fiat.

Ceterum, in foro Ecclesiastico & de Jure Canonico adhuc requiritur inscriptionem ad peccatum talionis, tradit Clarus q. 12. n. 18.

§. II.

De Procuratore Accusati.

49. AN Accusatus possit se per Procuratorem quoad merita causa defendere? Si Juris textus inspicias, intricata quaestio est, eo quod aliqui affirmare, alii negare videantur, ut ex postea referendis apparebit. Quibus Interpretes varias conciliationes adhibuerunt, sed non satis feliciter, ut videre est apud Fachineum lib. 1. c. 24. qui aliorum conciliationibus rejectis, ipse sic conciliari posse existimat, quod jura, quae dicunt posse admitti procuratorem, loquantur de tali accusato, qui non potest in auditorio comparere; ea vero quae negant admittendum esse procuratorem, sint intelligenda de accusato, qui potest esse praesens in auditorio.

Hac conciliatio mihi difficilis est, ob rextum paulo ante relatum, ex lege 13. §. 1. ff. de publ. jud. ubi dicitur: [Sed excusationes NB. absentium Judicibus allegantur, & si justam rationem habeant, sententia differtur.] Ergo verba praecedentia, negantia procuratorem absentis, sunt intelligenda, quoad merita cause, nam solum ad excusandam absentiam dicitur admitti procurator. Deinde obstat lex 11. §. 2. ff. ad L. Jul. de adul. ubi dicitur: *Ea quae inter reos ad alterum recepta essent, ab absentis defendi non potest.* Respondet quidem Facinus ex Cujacio, Adulterium tunc temporis non fuisse crimen capitale: adeoque illam legem non ob stare, quominus in capitalibus possit abfens per procuratorem defendi. Verum, si in non capitalibus non admittitur procurator, meo judicio, multo minus in capitalibus, nam rationes potissimum militanti in criminibus capitalibus, nempe, quia sententia potest reddi illusoria, quia reus non detinetur, & in procuratorem non datur executio: Deinde quia praesentia rei requiritur, ut ex vultu, propriisque responsionibus appareant indicia reddentia ipsum suspectum &c. Itaque

50. Dicendum videtur I. Et generaliter. In causis criminalibus Rei absentis, procurator seu defensor ad merita causa tractanda

non admittitur. Ita communior sententia, secundum quam etiam Scabini pronuntiantur. Probatur I. ex textu legis penult. ff. de publ. Judic. §. 1. jam ante relato. Ad quem ab adversariis non sufficienter responderi, jam ostendi.

Probatur II. In criminalibus abfens condemnari non potest. Major pars pro. Atqui posset abfens condemnari, si posset per procuratorem defendi: nam procurator ipse condemnari in sua persona non potest, quia innocens est. Ergo &c.

Probatur III. Si admitteretur Procurator loco absentis, deberet ipse cautionem praestare, iudicio sibi, & iudicatum solvi: atqui in criminalibus ad aliam quam pecuniariam poenam tendentibus, non potest hac cautio a procuratore praestari, ut patet. Major suo loco probata est, & ratio est, quia alioquin talia iudicia posset frustratoria reddi. Ergo &c.

Omitto alias rationes adductas a Carpovio, quae non probant intentum, sed solummodo, quod bonum sit, reum esse praesentem, & quod rationabiliter posset lex ferri, ut non admittatur procurator. Nempe quia potest iudex multa colligere ex vultu, trepidatione, variatione, tergiversatione &c. item quod ipsius rei interit esse praesentem, qui diligentius suam causam defendet. item quia si non admittatur procurator, homines magis absterreantur. item, quia cause hoc modo citius expediuntur, nam Procuratorum vitio & astu cause protelantur.

51. Dicendum II. Non solum ad absentiam excusandam admittitur absentis procurator, (per Jura allegata) sed etiam ad opponendas Exceptiones declinatorias iudicii, v. g. quod iudex sit suspectus, aut dilatorias, ut petendo salvum conductum, vel de nullitate processus, vel contra Accusatoris personam. Ratio est, quia in his non militat ratio, cur non admittatur ad defendenda causa merita.

52. Dicendum III. In publicis iudiciis non tendentibus ad poenam corporis afflictivam, sed solum pecuniariam, potest admitti procurator. Ratio est, quia in tali casu potest cautio praestari, iudicatum solvi. item potest executio fieri in bonis rei etiam absentis: denique quia in levioribus criminibus non est ita dure procedendum, cum causis civilibus sint similiores, adeo ut multi DD. tales vocent Causas Civiles, ut supra retuli.

53. Dicendum IV. Quando Reus est in iudicio praesens, tunc permittitur, ut illi assistat Procurator, non eadem ad respondendum accusationi vel inquisitioni, & ad interrogationes a iudice factas (nam reus ipse personaliter respondere debet) sed ad alios actus, v. g. ad respon-

sionem a reo datam concipiendam formaliter in scripto, ad opponendas exceptiones, ad producenda capitula, ad reum, uno verbo, instrumentum & consilio iuvandum: quae non sunt propria Procuratoris prout hic differt ab Advocato, nec ad haec opus est, ut fiat dominus litis. Nunc ad argumenta contraria sententiae respondendum.

54. Obijciatur ergo I. Lex 33. §. 2. ff. de Procurat. [Publicè utile est, absentes a quibuscunque defendi; nam & in capitalibus iudiciis defensio datur. Ubi quicunque abfens quis damnari potest, ibi quicvis verba pro eo facientem, & innocentem excusantem audiri aequum est.] item lex 3. C. de Accusationib. [Reos capitalium criminum absentes etiam per procuratorem defendi leges publicorum iudiciorum permittunt.]

55. Has leges esse interpretandas per illas leges ad quas se referunt ultima verba, nempe quae exstant in titulo Digestorum de publicis iudiciis, & sunt lex 10. & 13. ex quibus constat esse sermone de defendendo accusato absente solum per excusationem absentiae, nempe ne vel ejus bona annotentur, forte fisco applicanda, vel ne (post litem contestatam) contumax declaretur, quae est utriusque proprie defensio. lex 10. sic habet. [Inter accusatorem & reum cognitione suscepta NB. excusatio pro absente iustis rationibus admittitur.] & lex 13. §. 1. jam supra est relata. [Ad crimen iudicii publici NB. frustra procurator intervenit, multoque magis ad defendendum: sed NB. excusationes absentium &c.] Adde, quod lex ab adversariis primo loco allata a multis corrigatur, ut pro Innocentia legatur: Absentia. Innocentia enim non dicitur excusari, sed debet probari. Absentia autem excusatur.

56. Obijciatur II. Ex lege 18. ff. de appellat. ad quam duplex est responsio. 1. Quod inde ad summum probetur, posse pro reo condemnato appellationem ab alio interponi, quod est probabile, de quo infra. Secunda responsio est, quod solum probet, posse dominum (cujus interest) appellare pro servo, sicut potest tutor aut curator defendere causam sui pupilli, quod utique licet. Lex ita habet. [Lucius Titius pro servo suo, qui ad bestias datus est, provocationem interposuit, quare an huiusmodi appellationis causas per procuratorem reddere possit. Modestinus respondit, posse.] & ratio est, quia servus tenebatur: & si dominus per Procuratorem profectus appellationem succumberet, poterat prior sententia executioni mandari, sicut si nunquam appellatum esset: ergo non est periculum, quod iudicium redderet illusorium.

57. Obijciatur III. Quidquid sit de Jure scripto, quia tamen, ut dictum est §. praecedente,

te, hodiernis moribus licet accusatori agere per procuratorem, debet hoc ipsum etiam licere accusato per regulam: actori non licere, quod reo non permittitur, sed pari jure gaudere debere. l. 41. ff. de R. J. Accedit, quod in multis benignius agitur cum reo, quam cum actore, per vulgaria; quod potius favendum sit Reo. 2. Negando paritatem. Nam ideo accusatori permittitur procurator, quia hodie cessat causa negandi, nempe inscriptio, ut ibidem dictum est. Atqui in Reo non cessat hodie causa negandi procuratorem, quia adhuc interest Republicae, iudicia non reddi illusoria, sed delicta competenti poena puniri. Regula itaque intelligenda est de illis, in quibus est par ratio. Ad Confirmationem optimè respondet Carpovius, non in omnibus favori reo praestare, sed solum in certis casibus, maxime in decisione cause, ut in dubio absolvatur reus potius, quam condemnetur in favorem actoris, item in poenis dictandis, in re dubia potius mitior poena dictanda est. Contra in preparatoribus iudiciis potius favori actori quam reo, ut exemplis ostendit Gail lib. 1. obs. 12. n. 4. in medio.

CONTROVERSIA VI.

An aliquando possit à Iudice Accusatio cateroquin legitime facta non admitti.

57. Dicendum breviter cum Petro de Aragon q. 68. n. 3. & Card. de Lugo disp. 37. s. n. 74. Principem supremum posse accusationem non acceptare, & etiam acceptatam rescindere, quando id ad bonum commune judicaverit expedire, procurando, ut accusatori aliter satisfiat, si accusat ob proprium interesse: deinde iudicem inferiorem posse rescindere non solum accusationes vitiosas, sed etiam alias quae non ad interesse accusatoris, sed ad bonum commune primario ordinantur, non quidem de jure, sicut Princeps, sed per Episcopalem, quando certum est, accusationem noxiam fore bono communi, v. g. ob periculum proximum & moraliter certum securitatis seditionis aut publicum turbatum ob conditionem personae accusandae. Ratio est, quia in tali casu cessat finis accusationis, cum, ut supponitur, plus mali quam boni ex tali admitta accusatione sequeretur in Republica, cuius bono invigilare iudex ex officio debet.